

positum est unâ cum corpore civili nihil aliud facere, quam
quod pertineat ad felicitatem civilem, eaque de causâ
exigente id communi publicoque bono, cui non possit
aliter commodè subveniri, felicitas civilis jubet contri-
buere quantum postulat & quamdiu id postulat publi-
cum & commune bonum. Ut si non suppetat tantum bo-
norum quantum ad usus civiles pertinet, tum privati de
suis conferant ut toti Reip. consulatur.

XII.

Quicquid enim boni homo civisq; in republica ha-
bet & possidet, quod vivit, quod libere vivit, quod benè,
quod beatè omniumque rerum & bonorum usu & inter-
dum etiam copiâ ad voluptatem utitur fruitur, totum
hoc beneficium reipublicæ civilique ordini acceptum est
ferendum. Ille facit, ut homo sociatus in civili societate
civiliter vivat suisque gaudeat bonis.

XIII.

Quâ de causâ non tantùm necessarium verùm etiam
æquissimum reputatur, ut aliquid ex lucro & compendio
bonorum illorum conferat in commune. Propterea
quod & homo & Res singulorum in republ. conservari
nequeant nisi respublica conservetur. Hæc quippe pro-
spere agens felicitas est maxima: in hac insunt omnia: hac
salva cuncta servantur, hac pereunte nihil non pessum
it. Et hoc est quod Livius l. 26. c. 36. dicit: *Respubl. inco-
lumis privatas res facile salvas præstat, publica prodendo tua ne-
quicquam servas.* Adeoque singuli suâ causâ impende-
re videntur, quicquid conferunt in publicum usum Nov.
§. c. 10. §. 2.

XIV.

Hinc itaque tanquam exertissimo fonte omnis Col-
latio tributorum descendit. Et revera vi societatis civilis
omni-